

ΠΡΟΟΜΙΟΝ.

*Sanctius his animal, mentisq; capacius alta
Deerat adhuc : Et quod dominari in cetera posset,
Natus homo est,*

non minus scitè quàm verè *Ovid.* *Metam.* canit : & *Sophoclem* illud geminum huic maximèq; dignum est, quod adscribatur : nihil æquè stupendum inquit, ac Hominem natura parens produxit unquam. Hunc enim, pulcherrimum illud ac splendidissimum, stupendumq; verè, ab universi hujus Conditorè, mirificâ solertiâ, ac admirabili prorsus artificio extructum opificium esse ; tot creatoris sui impressa quæ habet vestigia, tot architecti sui manus quas ostendit Sapientes, totq; ab eodem variis ac admirandis prorsus, quibus adornatum est dotibus, demonstrant. Ut proinde meritò semper viros sapientes in sui rapuerit admirationem, amoremq; traxerit. Hincq; etiam certatim quasi illud condignis extellere laudibus & elogiis annisi sunt. Sic *Mercurus* ille *Trismegist.* Miraculum magnum & animal adorandum appellare, haud dubitavit. *Divinus* verò *Plato*, *Γαῦμα Γαυμάτων* ac divinum miraculum vocitandum putavit, ac *Zoroast.* ille vetustis. exclamavit : ὦ ἄνθρωπε, τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἀγαθῆ! Eloquentiæq; Romanæ parens *Cicero* : Animal plenum rationis & consilii, dicere voluit. Quæ tot Virorum magnorum encomia ac laudes insignes, non ideò tantum homini datæ sunt ; nec hujus animalis nobilitas præstantiaq; inde solum elucescit : quod cum *Aristot.* 8. *Phys.* 2. t. 27. pleriq; Virorum sapientum, ac in naturæ recessibus occultis indagandis omnem qui posuerunt operam, clarosq; ac illustres posteris se præstiterunt : Omnium, quæ universus hic mundus suo complectitur ambitu, à Creatore in eum collata esse simulacra ; eumq; verè Compendium & Epitome, Cunctarum in eo productarum rerum, existere, crediderunt. Sed quod maximum omnium, venerandamq; hominis dignitatem ostendit : Summus rerum Conditor, parvo huic mundo Sui insculpsit imaginem, animâq;